DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE TESTICULI POST INFLAMMATIONEM VENEREAM TUMORE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS THRELFAL,
BRITANNUS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.
M,DCC,LXX.

JOANNI THRELFAL, A. B.

DE KIRKHAMO IN AGRO LANCASTRIENSI,

ALIIS REVERENDO, SIBI CUM PIETATE,

COLENDO VIRO,

SUO

MAGIS CURA QUAM NATURA

PARENTI:

ITEM,

GULIELMO CULLEN, M.D.

MEDICINAE USUS ET INSTITUTIONUM,

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI,

SINGULARI LAUDE PROFESSORI,

QUI ITA DOCET, DOCTRINAM SUAM EO

ADFECTU INCULCAT,

UT PRO CHARISSIMO OMNIBUS SUIS,

PARENTE JURE HABEATUR,

SIBI SEMPER FUISSE SPECTETUR.

PRIMUM STUDIORUM PROFECTUUM EXEMPLUM

D. D. C. Q.

GULIELMUS THRELFAL.

DISPUTATIO MEDICA

DE

TESTICULI TUMORE.

TESTICULI de quo agimus tumor inflammationem gonorrhoeae virulentae ſequitur, qui, licet ipſe morbus non ſit, ſed hujus pars tantummodo aut effectus; tamen eo dignior eſt relatu, quo frequentius incidit, aut eventu moleſtior, praeſertim curatione neglecta, evadit.

Initium, Progreſſus, Ætas, et Finis Doloris.

INFLAMMATIO, quae dolorem facit, hunc fere ordinem ſervat, ut, quantum ſignis addiſcitur, ab urethrae regione incipiens, ſurſum per ſeminis itinera ſerpere, deinde per eadem ad teſticulum deſcendere, ſentiatur. Tum hujus loca exteriora prius, mox interiora, et corpus a-

deo ejuſdem, tumere, ampliari, dolere. Qui dolor, quo ampliatur magis pars aegrotans, ideoque pondere inſolito incommodat, eo intenſior, diſtendere, premere, et quaſi degravare, videtur; remiſſior utique, ſi ſcrotum ſuſtentatur. Creſcente malo, creſcit calor, celerius et validius micant arteriae; et reliqua quae febrem, ſaltem partis, comitari ſolent, ſimul ſubnaſcuntur.

Idem malum, pro cauſae vehementia, ſaepius paucis diebus reſolutione finitur; aliquando ante menſtruum ſpatium aut amplius non reſolvitur: Quod ubi fit, tumor paulatim decreſcens, raro duritiei quicquam in reliqua ſede ſua, in epidydimide ſaepe aliquantum, idque diu poſt fugatum alioquin malum, relinquit.

Rursus, ſi tumor non reſolvitur, ſi dolor, ſi febris, et alia inflammationis, eſſe vehementia perſtant, ſuppuratio incidere, et fiſtula ulceroſa *, poteſt.

I.

* Aſtruc.

Idem hic tumor raro in durum, in hydrocelen, in ſarcocelem, in cancrum, aut gangraenam, niſi male curatus, aut homine in eos adfectus aliter forte opportuno, ſua natura tranſit. Quae tamen mala, tumorem teſticulorum, quem ſive vulnus ſive ſyphilis formata fecerit, ſaepe ſubſequuntur.

Cauſa Morbum continens.

Quæ cauſa quamlibet inflammationem continet, eadem et hunc tumorem inflammatione gonorrhoeae virulentae conſiſtentem continere nobis videtur, ſcilicet, vaſorum partis aegrotae actio ſolito citatior, ſanguinem pro rata parte percitans, locum diſtendens, et dolorem ſenſibilitate aucta creans. Quae cauſae continentis notio mox in cauſa nocente fuſius explicabitur.

Ecquid

Ecquid Morbo opportunos reddat.

Nihil quemlibet in hunc morbum opportuniorem quam alios efficere videtur, niſi quod robore et aetate florentes, qui prae caeteris in reliquas inflammationes proni ſunt, inflammatione quoque et tumore teſticulorum praecipue forſan periclitantur.

Cauſa Nocens.

Plerique hactenus medici, quicquid ſeminis a teſticulo in veſiculas ſeminales, atque inde in urethram, profluvio obſtet, pro cauſa ſeu poteſtate nocente hujus morbi habuerunt. Quorum ſententias, uno aut altero exemplo in medium adlato, accipe.

Astruc*, " Virulentum," inquit, " ſe-" men, quod a teſtibus in veſiculas ſemi-" narias, et a veſiculis in urethram, pro-" fluebat, cogetur ſubſiſtere ; retentum " ea ratione ſemen vaſcula teſtium, qui-" bus

* De morbis venereis.

" bus coercetur, infarciet, diſtendet, et " tumefaciet ; diſtenta et tumefacta vaſa " ſpermatica, arterias venaſque juxta " repentes comprimunt ; demum, com- " preſſis venis arteriiſque, ſanguis conti- " nuo fluxu appellens in lateralia lympha- " tica vaſa cogetur arietare, et via vi fac- " ta novum iter ſibi cudere ; ſic ergo a " primo ad ultimum inflammatorius te- " ſtium tumor producitur. Haec eſt " prior morbi cauſa quae a gonorrhoea " ſemper dependet, quae cum eodem ſem- " per conjungitur."

A quo parum diſſentiens HEISTER haec verba * habet : " Mali hujus fons " in venere ſitus eſt, idque vel maxime " tum, ubi venenatus aliquis venereuſve " ſeminis fluxus intempeſtive aut minus " circumſpecte obſtruitur."

PORRO, BONETUS † ſimiliter fere in eandem ſententiam loquens : " Teſtes " quoque," ait, " ſedem gonorrhoeae eſſe " adeo

* Inſt. Chir.

† Sepulch. anat. ſive Anatom. pract.

" adeo clarum eſt, ut ii qui in hoc mor-
" bo curando operam impendunt, nulla
" probatione indigeant; ne tamen iis de-
" fuiſſe videamus qui in hoc morbo cu-
" rando minus ſunt exercitati, unum at-
" que alterum in medium proferemus.
" Frequenter accidit ex repentina aut in-
" tempeſtiva gonorrhoeae ſuppreſſione a
" potenter adſtringentibus facta, ipſos teſti-
" culos in ingentem magnitudinem, ut ali-
" quando videmus, excreſcere; quod con-
" tingere neutiquam poſſet, niſi ex parte
" ſedes gonorrhoeae forent. Idem pro-
" batur ex eo, quod foeminae, quae pro-
" ſtatibus deſtituuntur, aliquando, licet
" rarius, quamvis gonorrhoea laborant,
" quae in illis procul dubio a teſtibus,
" cum careant omnibus aliis organis ſe-
" minis conficiendo idoneis, provenit."

Quas opiniones, cum omnes eodem pertineant, haud alienum erit, eodem reſponſo omnes refutare.

Primum igitur, humor qui per urethram in gonorrhoea virulenta exit, neque

formam

formam ſeminis neque ſpeciem habet ; et, ſi per eadem itinera per quae ſemen tranſiret, veriſimile eſt, eum in urethra ſimiles quoque motus orgaſmo venereo excitaturum. Quod utique non facit.

DEINDE, nonne ſimilis humor, eademque a cauſa profectus, in mulieribus hoc morbo infectis, excernitur ; quem nemo per rationis ſimilitudinem ab ovariis veniſſe arguerit ?

PORRO, aliquorum urethrae folliculorum, praecipue ſub colis glande, compreſſio ubertim morboſum humorem extrahit, cum nulla vis, eandem urethram ſuperius comprimens, idem praeſtare poſſit.

DENIQUE, cadaveribus gonorrhoea virulenta exſtinctorum inciſis, glandulas urethrae mucoſas inflammatas, et folliculos ejus eadem humoris ſpecie quae in gonorrhoea virulenta exit abundare compertum eſt, cum veſiculae tamen ſeminales integrae omnino eſſent.

POSTREMO,

Postremo, contra haec argumenta nemo qui illa defendit unum, niſi quod ab opinionis varietate et ratione incerta, nec ullo experimento firmata fide, niteretur, attulit in medium.

Sic, ut videtur, hac ſententia argumentis quae ab ingenioſo Praeceptore noſtro Monro accepimus, convulſa, priuſquam ejus opinionem porro explicemus, ecquid praeterea aliunde ei repugnet, videamus. Itaque Sydenhamus *, "Quinimmo ſaepe," ait, "accidit, "ut ſanies, quae per gonorrhoeam de- "plenda erat, vel a motu violentiori, vel "adſtringentium uſu, in ſcrotum depoſi- "ta, atrociſſimum dolorem et ſcroti in- "flammationem accerſat, nunc alterutro "nunc utroque ejus latere in molem in- "gentem elato." Et crederet forſan aliquis humorem gonorrhoeae vaſis lymphaticis acceptum ad teſticulos per eadem deferri; verum, natura lymphaticorum nunc explorata, conſtat teſticulos nullam quidem ab iis lympham, recta dilatam, accipere:

* Opera univerſa.

accipere: Reſtat ergo, ut humor gonorrhoeae in urethra occluſus, dummodo tranſeat, niſi abſorptus, non tranſeat ad teſticulos; ſed, quia, ut poſtea apparebit, hunc humorem ſanguine abſorberi tantummodo opinio eſt, nos eam in praeſentia omittemus, firmius aliquid inveſtigaturi.

Rejecta igitur virorum utraque ſententia expoſita, ut ſemper ab altera parte, nullam cauſam, niſi illic ubi eſt, agere poſſe fatemur; ita, ab altera, ſaepe cauſae originem aliunde coeptam alibi agere videri, contendimus: Scilicet, ſaepe cauſa non per materiam, ſed motu, ab uno loco ubi primum egerit, ad alium ubi ſolus effectus adparet, tranſducitur. Is motus in nervis conſiſtit, eo minus hic explanandus, quod ea res et a propoſito nos raperet, et doctrina de nervoſis motibus melius ac plenius, a libello nuper manuſcripto, jamque omnium fere in manibus, repetenda * videtur. Interim, ne a rebus ipſis

* Culleni inſtitutionum ſynopſis.

ſis diſcedere videamur, occaſionem teſti-culi tumidi, de qua agitur, in ſtimulo ſeu irritamento, vix unquam ab initio, niſi per vim nervoſam ad teſticulum delato, collocamus. Qui ſtimulus qualis ſit, de-inceps anquiratur.

Primum igitur hoc omnibus vaſis vi contractili praeditis, ut ſanguiferis, ut ip-ſis glandulis, commune eſt, ut irritatis quovis ſtimulo vaſis, plus humoris ad partem irritatam adfluat; utque caetera omittantur, id glandulis variis fieri om-nia argumento ſunt.

Itaque, acria in oculum inſinuata la-chrymas, in os ſalivam, in renes urinam, in organum bilem excernens, hanc, inſo-lita abundantia profundunt; quo minus idem mucoſis urethrae glandulis fieri quo-que dubites.

Stimulus vero qui hic agit primum labes venenata, ab impuro coitu accepta, eſt; ea glandulas ad plus ſolito muci na-turalis excernendum ſollicitat. Porro, ip-ſe mucus, forſan illa inquinatus, certe

acrior

acrior juſto redditus, una cum ea irritans, aſſiduo deinde ſtimulo eſt: Eſtque ea humoris in gonorrhoea ſtillantis occaſio.

Verum, idem ſtimulus qui gonorrhoeam facit, in majus auctus et ſuum augens effectum, teſticuli quoque tumorem ſic praeſtare videtur. Nam,

Ut certus ſtimulus, quod modo eſt dictum, juſtam gonorrhoeam, glandularum actionem augendo, creat; ita major, has conſtringendo, occludit, excretionem prohibet, inflammationem immanem accendit, accenſa in urethra inflammatio, ſecundum eam, ad roſtrum galinaginis, ubi tubuli ſeminiferi urethram penetrant, deinde in veſiculas ſeminis, tum in vaſa id deferentia, poſtremo, per ea ad epidydimida et interius teſticuli corpus, ſeſe promovet. Cauſa igitur teſticuli poſt gonorrhoeam virulentam tumentis, eſt ſtimulus inflammationis ab urethra ad teſticulum, non illic, ut dictum eſt, certe ab initio, praeſens, ſed eo vi ner-

voſa

voſa promotus. Quam rem multa ſenſus et inflammationis per membranas continuas et contiguas, aliunde alio perlata, etiam probant. Sic vermes inteſtinis infeſti narium pruritum, ſic veſicae uriniferae calculus urethrae dolorem, quodque magis ad rem eſt, ſic quoque catheter, explorandi calculi cauſa, per urethram immiſſus, teſticuli tumorem creant. Hoc, ſcilicet teſticuli tumorem, MONRO ſe vidiſſe teſtatur; ego lithotomiae opere idem effici * vidi. Similiter, renalis inflammatio cruris ſtuporem et teſticuli ejuſdem lateris cum retractione dolorem, facit; inflammato jecore, dolet dexter humerus; gaſtritidem ſequitur ſingultus. In rheumatiſmo dolor, ab articulis, propria ejus ſede, varie per muſculos divagatur; neque non in ventriculo, ſua radicitus ſede, dolor arthriticus, rarius quam alibi et praecipue articulis, quoque cernitur.

AD

* In Noſocom. Edinb.

Ad eandem rem pertinet nonnullorum ſtimulantium et adſtringentium medicamentorum effectus; qualis eſt ſacchari ſaturni, calomelanis, corroſivi ſublimati, alkali cauſtici, et vitrioli albi, quae omnia urethram inflammando teſticulos tumefaciunt. Quid dicam ea, quae non niſi habitum prius inflammando, illos ſic adficiunt? cujuſmodi ſunt, calor magnus, frigus immodicum, vehemens exercitatio, quodque ad victum attinet, carnium et liquorum fermentatorum uſus. Quorum actionem nemo ad ſeminis in ipſo teſticulo ſtimulum retulerit.

Quod ſi ſeminis diſtentio, aut intemperantia veneris, nocere dicantur, id eo modo fieri reſpondeo, quo modo ea de quibus ſupra relatum eſt ad noxam quoque conferunt, ſcilicet, irritando et coeptam ante inflammationem augendo. Quae tamen ipſa, ut ſupra monſtratum eſt, non morbum inferunt, eumque caſu tantum, et una cum propria noxa, adaugent.

Demonstrato igitur, tumentis teſticuli originem ab urethrae ſtimulo inflammante eſſe; cui opinioni, maxima ex parte, illuſtris Morgagnius aſſentit, cujus haec fere verba ſunt: "Minime enim neceſſe, "ut ſi materiae cujuſlibet repentinam vi- "olentamque ſuppreſſionem tumor partis "alicujus conſequatur, eo continuo de- "curramus, ut ex tumente nunc parte "eam materiam antea profluxiſſe affir- "memus; poſſe tamen intempeſtiva ad- "ſtringentium vi auctam irritationem aut "inflammationem a ſuprema urethra ad- "junctiſque veſiculis, per vaſa ſemen de- "ferentia ad teſticulos propagari; et poſ- "ſe quoque, idque facilius et citius, eo "uſque produci, ut inter ea vaſa et veſicu- "las viam ſeminis ferme intercipiat, a "quo propterea retardato teſticuli diſten- "dantur; et poſſe denique materiam, "quae per urethram excernebatur, ſangui- "nis alveum ſubire, et cum ſanguine "in teſticulos inferri, non negamus:"

Reſtat

Reſtat ut in noviſſimam ejus opinionis partem, qua ille a nobis aliquantulum diſcedere videtur, inquiramus Nos humorem venenatum in urethra ſecretum, ideo minus in gonorrhoea virulenta ſanguine receptum, ad teſticulum venire, opinamur, quod venenum, quo ille humor ſemper commiſcetur, ſi ſanguine reciperetur, quo modo hunc non inficeret et luem crearet, haud facile animo concipimus. Certe ſaepenumero, ſuppreſſa ex toto gonorrhoea virulenta, ut teſticulum tumefaciat, tamen in ſyphilida neutiquam vertitur. Et, e contrario, ſaepenumero, permanente gonorrhoea, teſticulus ita tumeſcit, ut nulla materiae tranſlatae ſuſpicio ſubſit. Quod ubi fit, teſticuli tumor inflammationi manifeſte debetur. Poſtremo, ubi vertitur in ſyphilida, gonorrhoea rarius teſticulum petit, ſaepius loca longe diverſa, ut fauces, ut naſum, et varia corporis oſſa, infeſtat. Neque anceps eſſe poteſt, cauſam teſticuli tumentis eſſe quicquid inflammationem facit augetve;

et, quanquam minus certum eſt, quia minus oculis cernitur, magis a ratione petendum; tamen non veriſimile non eſt, inflammationem minus efficacem gonorrhoeae in ſyphilida verſae eſſe originem. Saltem hoc conſtat, nunquam poſt gonorrhoeam virulentam tumere teſticulum, niſi inflammatio circa urethram et prius et vehemens exſtiterit; contra, ſaepe in minore inflammatione quam quae ad teſticulum tumefaciendum requiritur, gonorrhoea tranſit in ſyphilida. Quod diſcrimen ſive hominum ſive veneni natura ſeu alia quaevis cauſa fecerit, ut quaeſtionem, quae minus ad rem praeſentem et curationem pertinet, omittimus.

Omnia quae ſupra diſſeruimus eo haud obſcure ſpectant, ut, quicquid urethrae inflammationem primum a veneno accenſam ad certum modum augeat, id omne pro teſticuli tumentis occaſione eſſe, oſtendant.

Prae-

Praeſagium Eventus.

Quoniam, ut in adfectus hiſtoria pertexenda ſupra dictum eſt, is plerumque aut reſolvitur aut ſuppuratur, et raro, niſi male curatus, aut in hominibus alioquin caſu opportunis, in durum tumorem, hydrocelen, ſarcocelen, cancrum, aut gangraenam, tranſit, nos extra haec mala et in bonis hominum habitibus cum illuſtri Astruc*, ſi ſecunda remedia a perito medico adhibentur, non multum fore periculi judicamus.

CURATIO.

Sicut, hunc affectum cum inflammatione eſſe, et in hac conſiſtere, poſuimus, ita

* Haec ejus verba ſunt. Tumor qui ab inhibita gonorrhoea dependet, quo auctior eſt, citius proinde ſtadia ſua percurrit.

ita conſilia medendi, et omnia remedia, adverſus eam dirigemus.

Medendi duplex conſilium eſt: Primum tenſionem totius corporis, praecipue ipſius teſtis, imminuere; tum virus venereum aut expellere aut corrigere.

Quod ad primam primi conſilii partem attinet, ei ſanguinis detractio, antiphlogiſtica ſeu inflammationi obſtantia, et alvum purgantia, reſpondent.

Sanguinis detractio, ſui copiam imminuendo, ſtimulum auferendo, et arterias, quarum actio ſanguinem arcte complectitur, relaxando, et minus frequentes ac validos earum percuſſus reddendo, ad tenſionem et pyrexiam tollendam apprime convenit. Ergo, quo efficacius toti corpori ſubveniatur, ſanguinem ex magno vaſe potius quam parvis, ſemelque aut bis potius quam ſaepius aut minoribus portionibus, detrahi oportet. Sic enim nimiam tenſionem et pyrexiam optime tolli peritiſſimus quiſque et maxime in uſu verſatus medicus expertus eſt; idque

ob

ob has quidem rationes: Quippe enim, ut in aliis inflammationibus quae cito finiuntur, ita in hac, ubi vehemens eſt eoque citius deſitura, tempus in plures detractiones remedium dividendi non permittitur. Porro, cum ſpes plerumque ſit, habitum inflammationis una detractione feliciter tollendi, alienum videtur, id quod ſemel perfici poſſit in longius differre. Una enim ampla detractio, praeter plenos et robuſtos homines, ſatis aliis plerumque reperitur. Praeterea, ſimplicis elaſticitatis qua arteriae praeditae ſunt ratione habita, conſtat, poſt unam detractionem majorem, arteriarum relaxationem, ſeu collapſum magis ſubitum, ideoque majorem quam poſt plures minores, fore. Denique, cum, praeter elaſticitatem, arteriae vim quoque inſitam ſeu muſculoſam poſſideant, quae admoto ſtimulo ſanguinem citat, et inviciſſim ab eo augetur, eum igitur ſtimulum ſemel ex toto, quam ſaepius ex parte, demere ex uſu eſt. Quod una quoque magna detractione commode

ſolum

ſolum fit. Cum exiguae portiones ſaepius miſſae e contrario cauſam mali non ſolum ulterius ex parte progrediendi, ſed et per legem noſtris corporibus inſitam ſeſe renovandi, idque pro ratione frequentiae et exiguitatis ejus quod detrahitur, copiam ſuppeditent.

Quae omnia ſanguinis demendi praecepta diverſis hominum viribus, aetatibus, et naturis, oportet accommodari.

Neque, ad communem corpori tenſionem demendam, inflammationem ſolventia ſive antiphlogiſtica non ſuum uſum conferunt. Ea in libero diluentium uſu, omni irritante cauſa vitata, conſiſtunt. E rerum irritantium numero ſunt animi perturbationes, corporis vehementior quiſque, praecipue muſculoſus, motus, caloris et frigoris quicquid nimium eſt, ſtimulantia omnia, ſive per medicinam ſive per cibum aut potionem adhibita.

Denique, validum in primis remedium praebent alvum purgantia: Quae, motum inteſtinorum periſtalticum augendo, magiſque etiam varia per inteſti-

teſtinorum tractum excretoria emulgendo, et vicinam quamque partem attenuando, praecipue tenſionem eamque levant: Cujus maximum eſt in communem corporis, et in ſingularum partium propriam, imperium. Quorum uſus eo erit efficacior, quo quiſque magis habitum inflammationis habet. Quae tamen ſanguinis detractioni multum plerumque cedunt, quia omnia eorum ſtimulum non ſolum hic inutile ſed et malum habent, cum ſanguis detractus omni noxa, ſtimulo omni, careat. Ad quod incommodum alvum purgantium quam maxime vitandum, ea potiſſimum deligenda ſunt, quae quam minime ſtimulare compertum eſt. Cujuſmodi prae caeteris refrigerantia et mollientia ſunt, ut ſal glauberianus, polychreſtus, rupellenſis, cremor tartari, aqua grato acido addito purgans, et, ut mihi videtur, aqua marina, manna, tamarindi, et oleum ricini; e quibus ipſis, quia non ſolum purgata, ſed dein facili alvo opus eſt, tria poſteriora reliquis anteferuntur; quippe quae alvum, peracta jam

pur-

purgante facultate, leniter facilem relinquant.

Alteri primi conſilii parti, ſanguinis quoque, ſed ex partis vaſis, detractio, item mollientia, poſtremo teſticulus ſuſpenſus, aut habitus corporis recumbens, ſunt idonea.

Sanguis e parvis partis vaſis detractus ſummum auxilium praeſtat, ſiquidem arteriolae inflammatione maxime laborantes, dempto ex ipſis ſanguine, maxime relaxantur. Quin et eadem ſanguinem imminuendi ratio ſaepe neceſſitatem ejuſdem ex magno vaſe demendi tollit.

Et quidni? cum, per experimenta tam aliorum quam Halleriana, jamdiu conſtat, omnem ſanguinis jacturam inde primum incipere, unde is detractus ſit, et proximum quemque locum deinde detumeſcere. Neque medicorum uſus, exiguum aliquid ſanguinis ex ipſa quavis parte inflammata ſubductum plus prodeſſe, quam maximam copiam e communi cumulo ablatam, non etiam confirmat.

Op-

Optima partem levandi ratio per hirudines, ſive ſcroto ſive perinaeo admotas, eſt; et ſemper plus minuſve, ſaepiuſque aut rarius, eliciendum, prout malum vehementius aut levius erit.

E mollientibus, cataplaſmata et fomenta potiora hic videntur. Quae qua ratione agant aliter incertum eſt, niſi quod in partis inflammatione nimiam tenſionem relaxando, et forſitan vaſa abſorbentia magis idonea, quae abundantes humores e parte recipiant, efficiendo, praecipue juvare videntur; verum neutra diu ſimul adhiberi, ſed ne teporem utilem perdant, ſaepe novari, oportet. Nec curandum ſolum, ne frigendo, ſed ne nimis calefaciendo, noceant; ſiquidem, ut frigus inutile eſt, ita plus juſto caloris ſtimulando etiam malum. Tepor citra ſtimulum quaerendus. Optima cataplaſmatis forma e lacte et pane eſt. Ego aliquantum ſacchari ſaturni feliciter vidi additum; quod utique, niſi caute, non adhibendum videtur.

Ea-

Eadem quoque de qua agitur tenſio, recumbente homine, minuitur. Scilicet et ſanguinis arterioſi infra cor, in inferiora, ideoque loci laborantis vicinium, deſcenſui ſic obſiſtitur, et venoſi ad cor reditus eadem ratione expeditur. Frangitur etiam, teſticulo faſcia ſuffulto, in eundem ſanguinis impetus. Quo utroque auxilio, et praecipue faſciae uſu, aliquamdiu poſt adfectum levatum, non eſt deſiſtendum; ne debilis morbo teſticulus in diſtenta modo vaſa, et per remedia relaxata, ſanguinis vim incommodam recipiat.

Ad virus corpore aut ejiciendum aut corrigendum, utiliſſima medicina mercurius eſt. Cujus uſum hic plenius exponere operae pretium erit.

Mercurius quinque formis adhibetur; crudus, in vaporem verſus, calcinatus, tritus, acido penitus adjuncto ſalinus. De prima forma, cum et alias iners ſit, et in hac curatione nunquam adhibeatur, ſupervacuum eſt verba facere.

I.

Idem, ſive calcinatus, ſive tritus, ſive ſalinus intus aſſumptus, cum reliquas, quantum obſervatio docet, ſecretiones tum prae caeteris perſpirationem et ſalivam, movet.

Sed, quia ſalivae plus et perſpicue magis profundit, ideo, quid in reliquis ſecretionibus praeſtet, minus vulgo animadverſum eſt, minorque earum, atque ipſius perſpirationis auctae, ratio vulgo habetur.

Mercurii actionem multiplice conjectura Scriptores explicarunt, alii in pondere, alii in ſanguinis attenuatione, in proprio ſtimulo alii, eam ponentes. In pondere vero ejus virtutem non conſiſtere, probat haec ipſa virtus, diviſione et addito acido adaucta. Sanguinis attenuationem immenſa ſalivae ſputae vis refellit.

Proprii ſtimuli, quod illi ſpecificum vocant, opinionem, nulla proprie ſecretio, ſed omnes communiter motae, convellunt. Scilicet, adeo non glandulas ſalivoſas ſolas mercurius ſollicitat, ut, immota ſaepe ſaliva, is modo ad inteſtina ruens alvum, mo-

do ad ſummum corpus dimanans, perſpirationem, item ad urinae vias iens hanc, vi diverſa, moveat; neque glandularum poſitus actioni illius propriae favent, id quod anatomica et hydraulica experimenta docent.

Opinio, mihi proxima vero, eſt, mercurium cum ammoniaco in noſtris humoribus ſale ſe conjungere, ideoque ſalivam prae caeteris affectare, et glandulas illam ſecernentes ad ſecretionem majorem irritare. Quo poſito; ratione adductus credas, ea corpora quae hoc ſale maxime, aut ſupra naturae modum, abundant, fore ad ſalivam mercurio reddendam reliquis proniora. Quod ipſum revera factum videmus; nam in ſcorbuticis hominibus, quorum ſanguis maxime ſale ammoniaco abundat, facillime ſaliva movetur. Quod ſalis ammoniaci, in aliis corporibus abundantis, in aliis deficientis, diſcrimen, rationem forſitan explicat. cur aliis hominibus facilius, aliis difficilius aut non omnino, ſaliva excitetur.

Cujus

Cujus rei quaecunque ſit ratio, conſtat mercurium omnes ſécretiones, ne urina quidem ut dictum eſt excepta, ſtimulare.

Haec de mercurii actione praefatus, quomodo hunc affectum medeatur, deinceps videamus. Gonorrhoeae virulentae origo, ut dictum eſt, venenum peculiare eſſe videtur. Hoc mercurius, ut certa docet experientia, certo effectu tollit. Hinc duplex oritur quaeſtio, idne mercurius humorem aliquem detrahendo, an peculiari quaſi ratione, praeſtet?

Quod ad primam quaeſtionem attinet, nonnulla morbo, humorem purgando, medentur, ut guaiacum ubivis, ut balneum arenae per ſudorem apud Indos orientales, ut ſarſaparilla, deficiente etiam mercurio, ut corroſivus ſublimatus; qui, cutis foramina aperiendo et perſpirationem movendo, eo celeriori eſt auxilio, quo liberior perſpiratio reddatur. Huic accedit, quod gonorrhoea virulenta per antiphlogiſtica et corporis attenuationem ſaepe radicitus tollitur,

tollitur, ſaepe ſine medicamentis, vitato ſolum labore et victu calefaciente, depellitur.

Anceps igitur non eſt, quin gonorrhoea virulenta ſit ſolis humorum detractione et corporis attenuatonis ſanabilis; unde etiam, mercurium ſimiliter agere, credibile, quem et revera ſic agere, ut ſupra retuli, in confeſſo, eſt.

Sed, praeter vim ejus purgantem, mercurius ſingulari quaſi ratione etiam medetur. Licet enim multa alia, varias, aeque ac ille, ſecretiones moveant; eorum tamen nulla aequo adverſus morbum remedio ſunt. Quaedam mercurii formae ita confici poſſunt, ut ſudorem praecipue et valide moveant; cujus tamen huic effectui certe non cedit antimonium; quod utique cum illo in morbi venerei curatione non eſt conferendum. Quinetiam, in partium affectibus a communibus corpori exortis, mercurius peculiari, magis hac quam purgante proprietate, agit.

Cum igitur utraque facultate, et peculiari

liari quaſi et purgatrice, mercurius medeatur, utra is potiſſimum valeat, proxime requirendum, eoque magis quod talis quaeſtio ſummopere ad uſum attinet; ſiquidem, ſi peculiariter medicina agat, ita danda videbitur, ut ſecretiones quam minime moveat; ſi purgando proſit, ut id quam maxime praeſtet, ſpectari ſolum oportebit.

INTER diſcrepantes de hac re opiniones haec mihi veriſimilior viſa eſt, ſcilicet, ut, utrumque effectum incidere, et mercurium cum veneno ita conjungi, ut in utroque e corpore expulſo curatio conſiſtat, exiſtimem.

NEQUE quiſquam hic me neutrum ſic formari opinari crediderit. Etenim eam notionem ideo potius vitandam puto, quia, quale ſit hujuſmodi neutrum, quomodo fiat, quave ratione ſalutem moliatur, nequeo ad ſententiam explicare. Praeterea, conjunctio de qua locutus ſum fieri ſine neutri forma poteſt, ut exemplum cum aliarum ſolutionum chemicarum, tum ſpiritus vini Gallici, addocet; in quo alcaholis

lis cum aqua coitus, non tam utriuſque mutat naturam, quam alteram in alterius inſinuat; et liquor conjunctus non tam naturae tertiae exiſtat, quam gradu quaſi variet.

Quod, ſi meam interponere conjecturam de re adeo ancipite et obſcura liceat, ii mihi, qui mercurium minus purgando valere autumant, idcirco falli videntur; quia eandem inter reliquas purgatrices ejus facultates et ſalivae purgationem, rationem ſubeſſe ponunt, quod utique non ita eſt; id quod exemplo illuſtrabo.

Pone aliquem a medico curari, cui datum ſit id mercurii quod vel modum parum excedat, vel ipſe aegrotans frigore ſit exceptus; protinus igitur fauces inflammabuntur, perſtante tamen ſalivae larga profuſione. Subtractus igitur ſit, ſaltem multo parcius datus, mercurius, laborabitque tamen uſque homo ſic quoque eodem profluvio. Sequitur ergo largam hanc ſalivae ſecretionem non pro magnitudine

tudine prodeſſe ; quo magis alterum hoc argumentum pro peculiari mercurii actione eſſe credas.

Cujus rei ratio haec mihi videtur : Primum mercurii ſic, ut dixi, ſtimulus ſubtractus facit ut reliquae parum procedant ſecretiones ; tum dolor cum inflammatione ita cerebrum movere poteſt, ut ſpaſmum ſummo corpori inducat. Et, ſi medicina ab initio non in tantum hanc ſecretionem, reliquas in majus promoviſſet ; nunc vero cohibitas eas, et praecipue perſpirationem, minime ſalivae profuſio penſat. Ergo qui mercurium, uberrime purgantem, minus potenter adverſus venenum venereum agere, credunt, ii alieno a re exemplo ſuam opinionem illuſtrant ; atque etiam, ubi minus purgando aut humorem aliquem detrahendo agere illa videtur, tamen eundem perſpirationem, quae omnibus excretionibus forſitan tanto major, quanto minus manifeſta, eſt, vel potentiſſime movere veriſimile eſt.

Cum

Cum igitur mercurius dupliciter, et humoris detractione, et peculiari quaſi ſeu parum cognita ratione, remedio ſit, ſi priori viae inſiſtendum eſt, caeteris formis corroſivus ſublimatus praeponendus mihi videtur. Is, aqua diſtillata, adjecto ſalis ammoniaci paululo, quo certior effecti ſit, ſolvatur; ab exigua portione incipiatur, quae caute dein adaugeatur.

Neque balneum quoque non in auxilium rite vocari poteſt; quod utique rectu difficile eſt; ſiquidem a multis rebus, quas haud facile omnes attendas, exitus ejus pendet. Simul mercurii tantum darem, quantum ad cordis et arteriarum actionem ciendam et citam ſervandam idoneum eſt; eodemque conſilio victum, aera, et exercitationem adminiſtrarem; aera tanto in Britannia impenſius, quanto coelum aliis pleriſque conſtantia illic majori vertitur.

Verumenimvero, cum multi tales habitus habeant, ut hoc conſilio data mercurialia parum ferant, quin per haec alvum praecipitata, intactis reliquis ſecretionibus,

nibus, incaſſum ruant; et quoniam in ſummam cutem, cujus foraminibus, in hoc curationis genere, quam maxime apertis opus eſt, dirigi mercurius ſaepe nequit. Ergo,

Ad alteram ejus proprietatem decurrere, plerumque erit conſultius. Itaque adverſus teſticuli tumorem, et venenoſam ejus cauſam, certius plerumque remedium eſt unguentum mercuriale, juxta aut ſupra partem laborantem impoſitum, quod hoc commodi habet, ut liberrime et ſine cautionibus modo relatis poſſit adhiberi; dummodo nimium frigus, quod curationem ſemper differt, vitetur. Quae res oſtendit, ne hanc quidem mercurii actionem funditus peculiarem eſſe, ut ideo ubique eam non peculiarem, ſed quaſi peculiarem vocaverim.

Utraque via curatio ſic procedere poteſt. Prior plus virtutis in proprietate purgatrice ponit; quod ſi quis roget, cur igitur ſalivae purgatio non ulterius urgeatur? ei ad id me jam ante reſpondiſſe

reſpondeo : Scilicet eſſe modum in ſalivae purgatione, ita, ut ſi aliquantum interdum proſit, id quod nimium eſt, mercurium ab aliis ſecretionibus arcendo, obſit, et reliquas cohibitas illam minime penſare, demonſtravi. Atque, quod ſaepe fit, ſi ſaturatur mercurio ſic agente, aegrotans, non ſolum ab omni ſalivae ſecretione, ut et reliquis ſollicitandis, deſiſtendum, ſed ad alteram agendi rationem decurrendum. Ea ſuum in facultate purgante effectum minus habet; ideoque peculiariter tanquam agere videtur. Ad quod objici poſſe, ſi non reliquas ſecretiones, at perſpirationem hac via adaugeri, neutiquam me fallit. Liberam eſſe perſpirationem, concedo; ſed non ita, ut ei, niſi leviter, accepta referenda ſit ſanatio. Quae vel in medio frigore cui homines ſaepe objiciuntur, licet tardius aliquanto, tamen ſatis procedit, et, ut aliquantum, ita non multum, a perſpiratione imminuta accipitur detrimenti.

MERCURIO

Mercurio igitur utraque hac ratione adminiſtrato, totum ſecundum medendi conſilium huc redit, ut vel per purgatricem facultatem virus integrum corpore ejiciatur, vel per alteram commutatum, cum remedio conjunctum, et innoxium redditum, quomodocunque diſſipetur.

FINIS.